D. O. M. A.

DE NATURA FULMINIS, SECUNDUM historias admirandas, ET DE OPINIONE PARACELSI, collata cum veterum Physicorum sententijs in ea materia,

De quibus exercitij publici loco Disputatio erit in illustri Casimiriano apud Coburgenses,

PRÆSIDE

ANDREA LIBAVIO M.D P.C.
Gymnasij Directore & Prof. Pub.

Respondente

GEORGIO EISENBINNERO
COBURG. Studioso publ.

Ad XVIII. Februarij ANNO MDCXV.

COBURGI Typis Casparis Bertschij.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

9

Reverendo, doctissimoq; Viro, pietate, humanitate, atq; ὀρθοδοξίας Lutheranæ laude præstantissimo,

Dn. M. JOHANNI FABRO, aulæ Coburgensis Concionatori, ibidemq; reverendi, ac magnifici Consistorij assessori dignissimo, itemq; illustris Gymnasij Casimiriani Theologiæ Professori fidelissimo,

Clarissimo & Consultissimo Viro,

Dn. JOHANNI ADAMO TRUMMERERO, J. U. D. cognato, & amico suo multùm honorando,

Reverendo, & pietate, multijugæ eruditionis cognitione conspicuo Viro,

Dn. JOHANNI ALDENBURGIO Seniori, Ecclesiæ Coburgensium Diacono vigilantissimo,

Spectatissimo ac integerrimo, variarumq; rerum usu & experientia præstantissimo Viro,

Dn. JOHANNI ALDENBURGIO juniori, LL. Cand. Reipublicæ eorundem Archigrammateo dignissimo, amico & fautori suo singulari:

Dn. Mecœnatibus, patronis, ac promotoribus suis omni observantiæ cultu nunquam non afficiendis,

Hoc Physici studij exercitium

Humiliter dedicat ac offert

Respondens

Georgius Eisenbinnerus.

D. O. M. A.

De Fulmine Notabilia.

I.

Refert Guilhelmus Fabricius Hildanus, peritissimus ille nostri temporis chirurgus, observatione 26. centur. 3. chirurg. Nobilem quendam cum duobus famulis Friburgum equitantem in itinere fulmine sic percussum fuisse, ut duo equi cum famulo à latere statim interirent, ipse cum altero ad jactum lapidis praecedente, quanquam itidem prostrato, excepta aliqua in hoc auditus laesione, incolumis evaserit.

2. Mira autem vis fulminis fuit. In equis & famulo mortuis nulla externa violentia apparuit excepto capite famuli, quod paulò post intumuit, & nigrum evasit. Pileus quoq; ejus satis magno foramine fuit pertusus. Nobilis sinister cubitus tactus sine alia laesione maculam nigram in cute accepit. Fulmen manicam Thoracis, & intercula perfodit foris parva, intus magna ruptura. Inde descendit ad brachiale; ibiq; globulos corallinos integro filo perfregit. A manu incumbente ensis capiti intravit vaginam holosericam, & salva illa cuspidem gladij instar plumbi liquefecit, perq; capsam ferream, qua vaginae extremum erat munitum, rotundo foramine facto penetravit, atq; ita relictis piceis maculis in utroq; poplite, & sura illaesis ocreis, & cute decessit.

3. Hoc fuisse illud fulmen, quod Seneca descripsit lib. 2. natural. quaest. cap. 31. & 52. statim apparet. Mira, inquit, fulminis, si intueri velis, opera sunt, nec κεραυνὸς
quicquam dubij relinquentia, quin divina illis insit, & subtilis potentia. Loculis ἀργής.
integris & illaesis conflatur argentum; manente vagina gladius liquescit, & inviolato ligno circa pila ferrum omne distillat. Stat fracto dolio vinum, nec ultra triduum rigor ille durat. Illud aequè inter annotanda ponas licet, quod & hominum, & caeterorum animalium, quae icta sunt, caput spectat ad exitum fulminis: quod omnium percussarum arborum contra fulmina bastulae surgunt. Quid quod malorum serpentium, & aliorum animalium, quibus mortifera vis inest.

cum fulmine icta sunt, venenum omne consumitur? In venenatis corporibus vermis non nascitur. Fulmine icta intra paucos dies verminant. Valentiora quia resistunt, vehementius dißipat, cedentia nonnunquam sine injuria transit. Cum lapide ferroq; & durißimis quibusq; confligit, quia viam necesse est per illa impetu quærat. Itaq; facit viam, qua effugiat; teneris & rarioribus parcit, quanquam & flammis opportuna videantur, quia transitu patente minus sævit. Interdum in eadem materia multa diversa ejusdem vis fulminis facit; sicut in arbore quod aridißimum est, urit, quod solidißimum & durißimum, terebat & frangit: vinum gelat: ferrum & æs fundit. Illud est mirum, quod vinum fulmine gelatum, cum ad priorem habitum redijt, potum aut exanimat, aut dementes facit. Inest fulmini vis pestifera. Ex hoc aliquem remanere spiritum in eo humore quem coëgit, gelavitq; verisimile est. Nec enim alligari potuisset, nisi aliquod illi esset additum vinculum. Præterea olei quoq;, & omnis unguenti teter post fulmen odor est: ex quo apparet inesse quandam subtilißimo igni & contra naturam acto pestilentem potentiam, qua non tantum icta cadunt, sed & afflata. Præterea quocunq; decidit fulmen, ibi odorem sulphuris esse, certum est, qui, quia natura gravis est, sæpius haustus alienat. Hæc Seneca copiosè partim historica, partim ætiologica. Talia habet & Paracelsus cap. 5. meteoricorum.

4. Plinius non omni fulmini ista mira tribuit, sed tertiæ speciei solum. Ita enim inquit cap. 53. lib. 2. Fulminum plura genera traduntur. Quæ sicca veniunt, non adurunt, sed dißipant: Quæ humida, non urunt, sed infuscant. Tertium est, quod clarum vocant, mirificæ maximè naturæ, quo dolia exhauriuntur intactis operimentis, nulloq; alio vestigio relicto: aurum, æs, & argentum liquatur intus sacculis ipsis nullo modo ambustis, ac ne confuso quidem signo ceræ. Martia, princeps Romanarum, icta gravida, partu exanimato, ipsa citra ullum aliud incommodum vixit. M. Herennius decurio sereno cœlo fulmine ictus est. Hæc Plinius. Alij historici addunt plura, nosq; ipsi multa observavimus, ut aliquando incensas esse ædes & templa, cujus descriptio egregia apud Lucanum extat, ubi Cæsarem fulmini comparat: aliquando percussas tantum fissis lignis: alicubi vim ferramentis solùm illatam; & ossa fracta cute illæsa cum carne &c.

lib 1. Pharsaliæ.

5. Seneca cap. 40. lib. 2. q. nat. rationem reddit à generibus fulminum.

Fulminum genera (inquit) sunt illa, quod terebrat, quod discutit, quod urit. Terebrans subtile est, & flammeum, cui per angustissimum fuga est ob synceram, & puram flammæ tenuitatem: Dissipans conglobatum est, & habet commixtam vim spiritus coacti, & procellosi. Itaq; illud fulmen per id foramen quod ingressum est, redit, & evadit. Hujus latè sparsa vis, rumpit icta, non perforat. Tertium illud genus quod urit, multum terreni habet, & igneum magis est, quàm flammeum. Itaq; relinquit magnas ignium notas, quæ percussis inhæreant: Nullum quidem sine igne fulmen venit, sed hoc propriè igneum dicimus, quod manifesta ardoris vestigia imprimit. Quod urit & fuscat, tribus modis urit. Aut enim afflat, & levi injuria lædit, aut comburit, aut accendit &c. Item: Quo icta fuscantur, id aut decolorat, seu colorem vitiat, non mutat: aut colorat, seu alium, quam fuit, colorem inducit &c.

6. Putat autem Seneca fulmen fieri collisis nubibus, quasi caussa emissionis fulminum sit nubium collisio, quam Thusci putarunt fato fieri, ut fulmina ederentur aliquid futuri significatura, & sic significatio sit prima caussa movens fatum. Nubium inter se compressarum angustiæ medium spiritum emittunt: hoc ipso inflammant, & tormenti modo ejiciunt. Inter fulmen & fulgurationem hoc interesse dicit, quod fulmen plus virium habeat, & in terras usq; perducatur; fulguratio non sit adeo impetuosa ut in terras perferatur; utrumq; vocat ignem. Fulmen est ignis coactus, & impetu jactatus; Fulguratio est ignis late explicitus. cap 12. lib. 2. ait, Fulminatio est jaculatio ignis cum ictu, c. 57. Fulmen est fulgur intentum, cap 1. ejusdem libri trabes, globos, faces, ardores, trajectiones, & fulmina statuit eodem modo fieri, sed fulmina majore, illa minore vi. Ut: nubes mediocriter collisæ fulgurationes efficiunt, sed majore impetu pressæ, fulmina: Sic quanto illas minus presseris, tantò leviora fulmina emittunt. Hæc ibi Seneca, qui & ignes lambentes fulminibus comparat, quasi defluerent ut fulmina, sed non ferirent, insiderentq; tantum.

7. Interdum ex Anaximandri sententia spiritum vocat, ut fulmen sit cursus, acrioris, densiorisq; spiritus, qui magno impetu latus efficiat sonum & ignem. Hæc autem est Aristotelis quoq; sententia in 3 meteor. cap. 1. Si in nube (inquit) multus & tenuis extendatur spiritus, fit fulmen. Hoc si valde est tenue, non adurit; si crassius, adurit. Illud, quod Poetæ ἀργῆτα vocant, propter tenuitatem

ferit, & propter celeritatem penetrat, antequam igniat, & coloret: Hoc quod φολόεντα appellant, tardius cietur, & colorat quidem, at non adurit, sed prius penetrat. Unde & quæ resistunt patiantur aliquid: quæ non resistunt, non læduntur. Clypei æs liquescit, sed lignum salvum permanet. Itaneq; vestimenta urit, sed quasi attritionem, τρύχος (lacerationem vel lossam; pannulum) facit. ὥστε ὅτι γε πνεύματα ταῦτα πάντα, δηλοῖ ἐκ τῶν τοιούτων; id quod declarat templi Ephesini incendio. Semper oportet putare spiritum conjunctum esse fulmini (συναναχωλυθεῖν) & præcedere licet non videatur διὰ τὸ ἀχρωμάτιστον εἶναι. Itaq; etiam qua debet ferire, ante q̃ percutiat, movetur, principio spiritus prius invadente. Tonitru & fulgur una est, quia spiritus idem percussionem facit, & sonum. Hæc Aristoteles de fulmine, qui de fulgure & tonitru egerat in præcedentis libri fine, & caussam materialem vocaverat exhalationem (calidam) siccam. Nos dicimus (inquit) eandem esse naturam super terra ventum, intra terram concussionem (σεισμὸν) In nubibus tonitru (βροντὴν) πάντα γὰρ εἶναι ταῦτα τὴν οὐσίαν ταυτὸν ἀναθυμίασιν ξηράν, ἣ ῥέουσα ἄνεμός ἐστιν. ὡδὶ δὲ ποιεῖ τοὺς σεισμούς. ἐν δὲ τοῖς νέφεσι μεταβάλλουσα ἐκκρινομένη συνιόντων, καὶ συγκρινομένων αὐτῶν εἰς ὕδωρ (cum nubes coëunt, & in aquam coalescunt) βροντάς τε καὶ ἀστραπάς, καὶ πρὸς τούτοις ἄλλα τὰ τῆς αὐτῆς φύσεως τούτοις ὄντα.

ὁ καπνὸς πνεῦμα ἐγκαίεται.

8. Cardanus lib. 2. subtil. miracula fieri vi fulminum confitetur quidem, sed eorum admirabilem quoq; rationem reddit, dum inquit: motus non solum penetrare magis cogit, sed & calorem ipsum accendit, atq; ignem igne calidiorem reddit. Nihil mirum igitur est fulmini inesse tantam vim ac ignem illum, quasi ab aliorum ignium natura alienum, miracula quædam efficere. Namq; ob motum celerem non solum magis penetrat, sed ignis ille multò calidior reliquo omni igne existit, solo contactu occidit, quod ei proprium est, quia calidorum est calidissimus. & quasi ignis ignium. Hæc ille, qui lib. 14. varietatis historia arcis fulmine dejectæ mirum ejus effectum probat.

9. Negat autem ignem esse Elementum, quia sit accidens, & aër accensus, nec unquam eadem maneat flamma sed perpetua generatione altera alteri succedat: ob subtilitatem per angusta ingrediens foramina, ob motum dividens aut scindens, discissa calore immenso urens, ac in propriam convertens substantiam. Aërem etiam motu validiorem fieri dicit, quia fiat penetrabilior.

10. Hæc

10. Hæc dum ille mirificè scribit veras causas efficaciæ fulmineæ non attingit. Aristotelica illa sunt: Flamma est spiritus sicci ardor 2 meteor. Ignis est superabundantia caliditatis. Exarsio enim est quædam superabundantia 2 de ortu, cap. 3. tex 21. Flamma propter continuum humidum, & siccum quæ permutantur fit: & non alitur. Non enim eadem existens permanet ullo tempore. 2. meteor. 2 Ignis semper formam non propriam habere videtur, sed in alio corpore. Aut enim aër, aut fumus, aut terra esse videtur quod ignitum est & c. Itaq; qui propriè ignis Elementum dicitur apud Lunam quærendus est 3 Gen. an 11. Eò enim fertur ad terminum, & ideò maximè formæ esse dicitur. 2. de ortu cap 8. tex 50. Si ergo fulmineus ignis non est Elementum, sed flamma non permanens, quomodo celeritate motus potest fieri calidior? Follium flatu intenditur per accidens. Neq; enim idem est ignis qui intenditur, sed copiosior proflatur, quia ex materia aëris, fumi, & ardentium excitatur major, spiritusq; ardens impulsu flatus vim imprimit validius. Quocirca de spiritu igneo proprietatem materiæ resolutæ sequente rectius id dixeris, qui motu attenuetur magis, & incalescat, imprimaturq; fortius excutientis, & impellentis impetu, adeò ut halitus mira efficiat etiam citra flammam.

11. Missis Peripateticis quid illi sentiant qui dicuntur librum mundi studiosè legisse, videndum. Ii sunt chymici, & quidem veterum doctrinarum contemtores maximè, qui Paracelsum ducem sequuntur. Ejus hypotheses sunt: 1. cælum esse purum ignem: (neq enim aliud Elementum ignem Paracelsistæ amplectuntur) 2 cælum in se habet terram argumento, quia lapides fulminei inde mittuntur. Nasci verò fulmen in cælo superiore scribit. 3. Quomodo nascatur, explicare conatur Tom. 1. lib. 3. paramiri, tractatu 6. Forma roris ex suo elemento ascendit in elementum aliud, quod est prioris ultima materia. In cælo primæ materiæ desinunt. Si spiritus cæli ex sua e genitura in cælo dominantur, confluxu elementorum unitorum lapis in cælo nascitur. Quodlibet ergo tonitru ex cælo venit, & ejus prima sua materia nihil est, nisi sal, seu spiritus salis congelans se ipsum. Est tamen unà sulphur quod in aëre comburitur, nec cum resolutum est, potest cum sale una manere.

Recentium opinio.

Ex tom. 3. de peste.

Lapis fulmineus prius fuit liquor.

12. Sententia est: fieri resolutionem salis & sulphuris, eamq; forma halitus ascendere & in cælum ferri, ubi coagulatio fiat forma roris, seu liquoris primum. Coagulatum cum iterum resolvitur, ex potentia contrarietate in contrarietatem actu transit, spiritusq; salis cum impetu excutitur in terram, sed sulphur (quanquam non totum) comburitur in aëre specie fulgetri. Ista verò duo

cum

cum amplius in summo stipantur, in lapidem fulmineum transeunt. Declaratio petitur ex natura halinitri. In hoc sunt spiritus contrarij potentiâ, à corpore Elementari coërciti. Resoluto hoc per calorem, dissiliunt spiritus, seu liquores, in quibus esse adversantiam, probatur spiritu halinitri, & sulphuris.

13. Hæc ille ibi non incongruè ad sensum, licet verbis non usq; adeò probatis. In Tom. 4. aliter paulò rem explicat. Nam fulmen ex tribus conficit, sale, sulphure, & igne firmamenti. Sal & sulphur dicuntur fieri per astrum salis, & sulphuris, seu essentiam utriusq; cui respondent astra cœlestia. Igne firmamenti accenduntur. Nam cœlum comparatur conflatori pulveris pyrij ex salenitro, & sulphure. Hic pulvis ut accenditur ab hominibus: ita sulphur & sal cœlestia ab igni cœli: veruntamen essentiæ nudæ sine elementorum corpore impetum nullum habent. Itaq; requiritur ut salina & sulphurea essentia quasi cortice elementari comprehendatur.

Anaxag. & Anaximander.

14. In his quoq; non omninò repudiandus videtur, nisi quod in firmamento ita fieri velit, in quod tamen nullæ turbæ ingrediuntur. In aere enim, eoq; non alto, fulgura, fulmina, tonitrua, nubes, & quæ unà sunt, consistunt, indeq; caussis quibusdam concitata feruntur. Per ignem firmamenti possumus Solis calorem intelligere potißimum: per astra, stellas illas, quas astrologi dicunt subjectum aërem disponere ad tonitrua, elevare halitus, & vapores resolutos, aut etiam resolvere, & attrahere quousq; possunt: In locum frigidum attracta consistunt, coagulantq;, posteaq; iterum resoluta, & incidentia in contrarietates, turbas excitant.

15. Plenißimè, & ex professo de fulmine philosophatur cap. 8. meteor. Hypotheses sunt hæ: 1. Deus salem, sulphur & mercurium intulit in firmamentum. 2. Sunt peculiares stellæ æstivæ ad generanda fulgura, & fulmina aptæ, & gradibus 32. distinctæ, ita ut stellæ fulmineæ seu fulminificæ sint in gradu XXXII. 3. Ex illis stellis quædam possunt errare, & vel tardius, vel citius operationem producere, unde tonitrua verna, & hyemalia. 4 Præcedit calor, qui existit in decoctione & præparatione fulminum per Vulcanum, seu superos, quos postea penates cœli vocat. 5. In fulminificis stellis sulphur quod est corpus tenacißimum, & subtilißimum, summo est gradu, halinitrum, utpote spiritus, summè pingue: mercurius summè contrarius utriq;, potentior sulphure, acrior halinitro. 6. Hæc tria cum una sunt, à Vulcano præparantur, ut ultimâ materiâ absolvantur fiatq; fulmen, & simul augescat calor æstatis in ipsa præparatione Vulcania. Incidunt tamen interdum quædam impedimenta,

Nota Paracelsi fatuitatem.

*tinenta, ut, quod inceptum est, non perficiatur, sed dissipetur. 7. Hæc declarantur opere chymico cinabaris. Sicut enim Alchymista sulphuri liquato immiscet salem, & posteà argentum vivum; ita cœlestes magistri, seu superi capiunt sulphur æthereum, salem, & mercurium, induntq; in matulam, quæ est stella, in qua præparant massam calore exiguo: (Nam calor major secedit, & æstatem serventem reddit) stellæ istæ postea effundunt misturam in aerem. 8. Hinc existunt nubes, quæ prius ob altitudinem, & tenuitatem non videntur, sed postea auctæ, & demissæ veniunt in conspectum, & crescunt pro materiæ mole, quam in se habet stella. 9. Mistura fulminea, quæ in stellis non est perfecta, absolvitur in nubibus aeris. 10. inde incipiunt ista tria sibi mutuo adversari. 11. Cum halnitrum insurgit, fit concussio in massa, perruptaq; nube emicat flamma. 12 Hæc dum fiunt, etiam mercurius concipit principium motus tantum, ut impetuosè nubes perrumpat, fulgurq; & tonitru faciat, perinde ac si argentum vivum argento serventi infundas, aut bombardam explodas in hypocausto. Tonitru enim est fragor ex contrarietate. Sic in præparatione aquæ halnitri primum coruscatio, postea tonitru percipitur. 13. Fieri potest, ut in ipsa præparatione contingat dissipatio, & non sequatur tonitru. 14. Cum verò massa illa sævit, non fertur versus cœlum impetus, sed in terram. Nam medium cœlo est sursum, sicut cœlum medio. Cum ergo tonitru ad nos mittitur, etiam sursum mittitur. * 15. Massa illa inclusa est cortici suæ tanquam pyxidi, aut ut ovum est in putamine. Cætera quæ massam circumstant, in pluviam & ventum abeunt. 16. Cum massa ex nubibus humorem accipit, rumpitur, & excutitur, perinde ac si quis aquam frigidam mitteret in servens æs campanarium. Hinc fulmen, quod nihil aliud est, quàm ignis in parvam massam coactus, & in corpus spirituale, aëreum, æthereum compactus, penetrat omnia, ut spiritus incorporeus, tanto cum impetu, ut omnia prosternat, & ferrum momento liquefaciat, quod olympico gradu, qui fortior est elementari, perficitur, estq; mirabilium effectuum. 17. Quædam fulmina sunt ignea, quædam frigida à proprio spiritu congelata: omninò tam admirandæ sunt vires fulminum, ut non putet Paracelsus esse NATVRALES: Vnde ergo? vel à diabolo, quod non probat, vel superis penatibus, qui sint magistri in eo opere, & dirigant fulmen, ut magistri tormentarij, eò quò velit Christus. Ideo .n. potissimum, inquit, tanta vis fulmini concessa est, ut sit exemplum adventus Christi mirabilis. 18. Permissu divino potest & diabolus excitare tempestates. In Tomo 4. de podagra contendit naturale esse, Pythonissas seu sagas facere tonitrua. Sicut enim ex ferro per silicem*

Tonitru Paracelsi.

B ignis

ignis excutitur: ita Pythonissa excutit ignem ex SIPHA; & incendit naturale subjectum COLCITAN, facitq; tempestatem. Hæc Paracelsus, qui videtur Anaximandri sententiam apud Senecam lib. 2 q.n. cap. 19 & Anaxagora apud Arist. 2. meteor. cap. ult. repetivisse. Nam & hic statuit sic fieri, ut ex æthere aliqua vi in inferiora descendat. Itaq; ignem ex cœlo illapsum nubibus sonare dixit: quod tamen & aliter explicari potest. Severini & Hartmanni phantasia est stellas semina in elementa demittere, ubi in fructus quosdam evadant, ex quibus sint nubes, fulmina & reliqua. Alij excrementa stellarum esse ex pastu volunt. Ita Diabolus antiquas fabulas repetit.

* Aristoteles voluit sibi demonstrari qui flamma deorsum & non sursum feratur natura. Paracelsus modum excogitavit.

Iudicium opinionis Paracelsi.

16. Non est necesse, ut multis opinio Paracelsi refutetur. Quia enim nullo solido fundamento innititur per se cadit. 1. Falsum est salem, sulphur, & argentum vivum, contrariè affecta esse in firmamentum a Deo coacta. 2. Esse quasdam stellas fulminificas secundum quid concedi potest: sed quo principio demonstrabuntur gradus eorum? 3 Æstatu calorem intensiorem existere ex decoctione, & præparatione materiæ fulmineæ ridiculum est, nec possunt juvare hominem calores in conflatorijs metallorum. Neq; enim quod fit in officinis nostris, id omne etiam in externo fit aëre. Spuriæ similitudines nihil probant. 4. Quis autem ille Vulcanus cœli est, qui penates & magistri qui cudunt fulmina? Figmentum id Poëticum est, non physicum documentum, & si velis tueri, etiam impium: nisi fortaßis angelos,* quorum aliqui ignibus præsunt, intelligere velis. Facere enim voluntatem Dei hi sunt parati. Sed Paracelsus etiam Diabolo asscribit potestatem istam ex Dei permißione, & sagis ex caußis naturalibus. Non itaq; opus erit Vulcanis, & penatibus impietatis gentilitiæ. 5. Comparatio ab opere Alchymistæ est puerilis & ridicula, præsertim cum dicuntur stellæ sese habere ut matulæ chymicæ, seu ollæ in quibus fiunt misturæ, cum prius generatio ipsis stellis tanquam caußis efficientibus tribueretur. 6. Falsum est nubes ex cœlo demitti. Apertum enim est ex mari & vaporibus montium nasci. 7. Materiam fulminis non in nubibus gigni, sed aliunde inferri, imò cum materia nubium ascendere, aut inventam occupari verum est, ut & in nubibus amplius disponi: sed cœlitus effundi falsum est. 8. Contrarietas calidi sulphuris, frigidiq; liquoris, & utriusq; in resoluto halnitro, vera est. Itaq; malè irridentur qualitates contrariæ peripateticorum, præsertim cum idem doceat exemplum excußionis ferventis metalli frigida aqua illapsa, & argenti liquati, in quod frigidum argentum vivum infunditur. 9. Terram & mare cœlo esse sursum, ἀνυπόλογον

Brontes Steropes pyraomon Maronis.

est, &

est, & refutatur habitudine superficiei ad suum centrum. Alia verò est caussa, cur ad terram ferantur fulmina. 10. Mirum est impetum fulmineum asscribi non elementari, sed olympico gradui, cùm tamen constet, quanta sit vis tonitruorum artificialium, & Ætnæ, Vesuvij &c. nec in æthere ulla unquam turba tales sint comperta, sed omnes in elementis adq; liquidissima observatione. 11. De vi quoq; varia & admirabili dubitare is non debebat, qui omnia ad sua principia tria revocat, & negat sine elementis posse istorum quicquam fieri. Et cur naturales caussas non habeat propinquas, id quod totum est naturale, & naturalibus exemplis declaratur? Si qua remotior est caussa, de ea non inquirit Physicus. 12. Quod ad adventum Christi attinet, Matthæi 24. scribitur: sicut fulgur (ἀςραπὴ) exiit ab oriente, & apparet usq; ad occidentem, ita erit & adventus filij hominis. Et Lucæ 17 v. 24 Sicut fulgur &c. Nihil hic habetur de mirifica vi fulminum, cum qua comparari queant ea, quæ eventura sunt adveniente Christo. Petrus quidem de Elementis calore solvendis prænunciat: sed hoc futurum est judicio jam habito. Paulus 1. Thess. 4. non fulminis meminit, sed tubæ & vocis Archangeli, qualis fuit etiam in legis promulgatione Ex. 19. 16. & cap 20. 18. ubi aliud tonitru, aliud buccinæ clangor. Luc. 21. virtutes cœlorum movebuntur quidem, at non dicitur Paracelsicè fieri. Ita est de signis in Sole, luna, & stellis. Paracelsi ista sunt conjecturæ, non demonstrationes. Quod si quis Paracelsista velit cum Seneca lib. 2. n. q. cap. 5. ex terra syderibus pabulum petere, quod etiam lib. 5 c 8. & lib 6. c. 16 asserit, spiritu & vaporibus pascens stellas, ut & Plinius l b 2 c 8 & 70 Oceano, unde Iovis fulmina petuntur cap. 20: eum mittamus ad Arist. cap. ?. meteor. lib. 2. & alios Physicos peripateticos, quibus ob rei veritatem longè plus tribuendum est, quam novis istis ex Paracelsia carbunculis absq; principio ex opinione sua quidvis ponentibus.

* Osvvaldus Crollius: Deus in omnibus Elementis creavit vivas creaturas inanimatas, seu absq; intellectu. Ignis, seu firmamenti sunt Vulcanales, pennates, salamandræ, superi, quorum monstra sunt Zundel.

17. Solet is fulminis naturam declarare morbis & symptomatibus in microcosmo, ut Gutta, seu apoplexia, paralysi, epilepsia, podagra; quasi fulmen sit paralysis firmamenti: & paralysis, apoplexia &c. fulmen microcosmi: spasmus tonitru microcosmi: caducus fulmen sine corpore instar spiritus &c. Verùm hæc comparationem admodum exilem habent, & sunt Poetæ, vel oratoris magis quàm Physici medici. Imò ridiculum est sic renibus impingere lapides, & vesicæ, quomodo ex nubibus cadunt, aut è cœlo mitti spiritualiter, & sale coagulari finguntur. Si instar Tartari coalescunt, non fulminis modo.

18. Quædam a. comparationes non sunt negligendæ, quanq́ eas Paracelsus perperam, & ex præconceptâ suâ phantasiâ adhibuerit. Talis est. quæ ab halinitro sumitur, in quo natura sulphuris est, & aquosi liquoris, seu spiritus adversi in corpore congelato. 2. Quæ à pulvere Pyrio. 3. Quæ à spiritibus halinitri & sulphuris; quanquam melius ab aqua forti affusa antimonio in angusto vase: aut liquori tartari, & solutioni auri in aqua regia: aut sublimati destillati, & aq. salis petræ &c. 4. Quæ à frigido argento vivo in argentum fervens injecto. 5. Quæ ab aqua frigida illapsa in metalla, aut venas metallicas in suis catinis ferventes. 6. Quæ à tormentis & bombardis pyrio pulvere instructis. 7. Ita de pyxidibus, quibus si includas halinitrum, aut salem ammoniacum, aut argentum vivum &c. super pruna fervente rumpuntur cum tonitru. Idem accidit in phiolis, & vasis destillatorijs, si quis incautè agat.

19. Verùm nos hæc amplius illustremus. Fulmen aliud naturale est, aliud artificiale: aliud divinum, aut generalius, Magicum: aliud tropicum. De hoc ultimo non est, ut disseramus. Notum est bellicosos viros fulmina appellari, ut Scipiones, Bajazeten cognomento childerun, quod fulmen significat &c. Ita quæ celeriter feruntur, fulmini comparantur, præsertim si etiam affligunt. Marc. 3. v. 17. Iacobus & Iohannes dicuntur Boanerges, ὑιοὶ βροντῆς, tonitrui filij à Bne, & regesch: Syriacè: Bonai regeschi; Bonerges filij strepitus & tumultus. Hoc modo apoplexia dicitur vulgo ictus, seu fulmen der Schlag De mysticis fulminibus habes Apoc. 8. 5 & cap. 11. 19 & 16. v. 18. Seneca generalius utitur vocabulo de ignibus ex summo emicantibus lib. 2. cap. 1.

Levenclaj⁹ in pandect.

20. Naturalia fulmina fiunt vel in inferiore loco mundi, vel in altiore, utpote in aëre medio. In inferiore loco infra terram, ut in terræ motibus: vel extra, ut cum Vesuvius intonat, & saxa ejaculatur; Cum Æthna & similia ardentia, quæ contingunt etiam sub mari, unde insulæ enatæ: Seneca lib. 2. n. q. c. 26. Intonant & aquæ minerales ferventes cum per angustas fauces erumpunt ut in Carolinis. Causam in his esse spiritum apertum est. Is potest quidem aliquâ subire foris: sed si tonitru & fulmen quærim⁹, intus existit ex resolutione per ignes. Materia a. tam potens est bitumen, sulphur, nitrum, halinitrum, sal ammoniacus, & similia. Seneca lib. 2. cap. 30. durorum conflictu fieri fulmen & tonitru existimat cum inquit: Ætna aliquando multo igne abundavit. Ingentem vim arenæ urentis effudit. Involutus est dies pulvere. populosq́ subita nox terruit. Illo tempore ajunt plurima fuisse tonitrua & fulmina, quæ concursu aridorum corporum facta sunt, non nubium quas verisimile est in tanto ardore nullas fuisse. Hæc ex sententia Asclepiodoti. Sed verior causa est spiritus bitumineus, nitrosus &c. Familiare exemplum est, si quis ferventi bitumini, pici, oleo, butyro, & similibus infundat aquam, quod & in Ætna evenire quis negetl Itaq; non dicendum tantum est spiritum vel exhalationem esse, sed qualis sit natura explicandum.

Plin. lib. 2. c. 82.

21. Quæ caussa naturalis facit fulmina & tonitrua in terrâ, ea etiam in nubibus, & aëre. Hoc saltem interest, quod quæ in imo sunt, ex coagulatis forti aliquo igne, vel calore resolvantur, & prima resolutione vim accipiant: quæ verò in aere & nubibus contingunt, eorum materia prius ex mari, & terra resoluta in altum evecta sit, ubi denuo constricta, & secreta in aliquas partes nubium ibidem igneo principio incidente & inflammante confestim resolvatur, & ob contrarias qualitates, aut incidens in contrarium veluti in aquosam nubem fæviat. Interdum, ut Paracelsus ait, in inflammatam materiam aqua frigida incurrit, & vim contrarietate commovet; Est & cum frigidorum antiperistasis coacto calore incendit, & incensus spiritus, liquorve sulphureus perrumpit per obstantia item contraria.

22. Sed addere oportet ea, quæ non quidem arte procurantur, artificibus tamen operantibus evenire possunt. Fragor, tonitru & excussio fit cum improvide balinitrum, sal ammoniacum, bitumen, sulphur, & similia destillantur, sive simul sive seorsim. Itaq. in aquis regiis utendum est peritia circumspecta. Cum argentum vivum non fixum phiolæ hermeticè obsignatæ inclusum prunæ ferventi imponitur, etiamsi sit præcipitatum per sales aut spiritus salium acres, erumpit fulminis instar. Si quis aurum regia solvat, & per oleum tartari descendat (ita loquuntur chymici pro descendere faciat seu...) calx inde fit fulminea ut ex ferro. Calx si versetur super tabula ut principium caloris sentiat cum magno fragore & impetu excutitur & deorsum tendit, adeo ut etiam perforare posit laminas æreas, aut ferreas. Tonitrua fieri cum ignifacta in aquas præcipitantur, popularis est notitia Cum in copiam pulveris tormentarij incidit flamma ut fit aliquando fulmine; aliquando per imprudentiam in pulverariis officinis, quantus fiat impetus, ostendit historia Cardani lib. 14 seu cap. 40 varietatis. Pluribus non est opus. Ita in balneis.

23. Consequens ex his est, quia similium effectorum, vel etiam eorundem, eædem aut similes sunt caussæ, astipulantibus cæteris indicijs, ut hic fiunt commotiones a spiritibus potentibus sulphureis, salsis & bituminеis, ita fieri etiam in nubibus, ubi consentit odor sulphureus in locis ictis & lapidum fulmineorum verorum pene ex mero sulphure concretio, qualis est ille, quem nos habemus specie conicharum flumineаrum. Sicut autem in nostris experimentis sunt una spiritus frigidi nitrosi & gelantes, ita & in nubibus. Vnde sicubi prædominantur, stupidos faciunt homines percussos & vina in glaciem vertunt.

24. Notandum & hoc est, spiritus istos frigidos non tantum esse natura

balinitrosæ, aluminosæ, chalcanthosæ, quæ & in sulphure & bitumine, sed & mercurialis, quales sunt in argento vivo, cujus ob id natura adeò mirabilis est, ut inter miracula cum magnete, & catharticis à Fallopio referatur. Accedit & aquositas vapida, ut in sale petræ cellarum, & frigus gelans, quo aquosa in glaciem concrescunt. Argumento sunt grandines sæpe ex iisdem nubibus unde veniunt fulmina.

25. Novimus autem sulphur liquatum, & stibium sulphureum ita affectum esse erga ferrum, ut id facilè solvat, & liquefaciat: argenti verò vivi spiritus quàm facilimè penetrent, & dissolvant metalla: quin & ossa corrodant, & nonnunquam flexilia excitatis fluxionibus, & cariosa reddant. Aurum si quis momento dissolvere velit, is medicinam ex argento vivo sublimato, & sale ammoniaco adjiciat, additoq; calore incendat.

26. Nihil subtilius est spiritibus balinitri, salis ammoniaci, argenti vivi crudi, argenti vivi sublimati, urinæ, Tartari. Horum naturam fulmineus spiritus repræsentat, dum illæsis aliis metalla fundit, & resistentia perdit. Inde judicari potest modus fulminis apud Pierium Valerianum lib. 43 hieroglyph. ubi calori ab adversante frigore in globum collecto & c.: stam vim asscribit. Si quis hic simplices sine materia disposita qualitates accipiat, is non totam fulminis naturam explicaverit.

27. Quod Seneca de vi venenatâ dicit, quæ in gelato vino restat, explicatur spiritibus mercurialibus, & salsis, ex quibus constat sublimatum venenatum. Sed & halitus arsenicales, Cobaltici, h.e. Cadmiæ venenatæ, antimoniales, similesq; ex fodinis metallicis, & officinis, in quibus ista liquantur cum fumis & favillis in aërem rapiuntur. Hinc ergo halitus fulminei venenati, & non à Basilisco cœli, ut nugatur Paracelsus cum suis. Non tamen omne fulmen pariter est virulentum: sed pro natura materiæ, & mistura.

28. Si quæras unde maculæ sint fuscæ, quæ relinquuntur in cute percussorum: habes bitumen resolutum, sulphur adustum picem, antimonium, cadmiam nigram &c.

29. Cur non omne fulmen incendit? Quia non omne sulphureum liquorem perfert, nec tenacem habet flammam. Si sulphur subtile est, deflagrat antequam hæreat. Interdum defertur spiritus sulphureus, sed tenuior est, citiusq; extinguitur quàm comprehendere possit. Interdum incidens in non inflammatilia, vel difficulter, præoccupatur extinctione. Plinius humidum incendere negare videtur.

30. Cur

30. *Cur alta petunt fulmina, ut ceraunias cautes, turres, quercus &c. Spiritus inflammatus obliquè fertur. In altis citius deficit aër. Minorem ergo invenit resistentiam in editioribus. Seneca lib.2.q.n.c.58. obliquè fertur, quia spiritu constat. Spiritus obliquus est & flexuosus: & quia natura ignem sursum vocat, injuria deorsum premit, incipit obliquus esse. Cacumina montium feriuntur, quia opposita sunt nubibus è cœlo cadentibus, & per hac transeundum est.*

31. *Ista ex naturaliter evenientibus colliguntur. Iam quæ ars procurat ijsdem rebus, ea facilè probant naturalia. Non loquor de puerili isto fulmine, quod æreo ponte, facibus & equorum cursu, Salmoneus Virgilianus commentus est: sed de tormentario, quo arces dujiciuntur, & subruuntur muri ab hostibus. Tale est, quod olim Cosroës in cœnaculo repræsentavit. Idem faciet pulvis fulmineus auri, vel ferri. In antro Smellenio Olai caussa erat naturalis, sed quæ motus principium accipiebat à re injectá. De Pilati lacu referunt, ut & de aliquibus puteis, quod injectus lapillus magnas turbas excitet, faciatq; ut vapor surgens in nubem coëat, quæ etiam tonitrua pariat, & fulminet.*

32. *Notandum est, quod de pulvere tormentario dicitur eum sine tonitru propellere, si sit comminutus & in farinam redactus: In majoribus granis magis furit. Videndum ergò ut rectè de halinitro & sulphure statuamus. Non sunt massalia ista in fulmine, nisi in lapidem coacta sint. Quomodo ergo per se in forma resoluta possunt adeò sævire? Non frustra itaq; Paracelsus tandem cogitur confugere ad contrarietatem aquæ ex nubibus, & ignis in ovo fulmineo, atq; ideo, nolit velit, peripateticis eadem dicere. Qualitates tandem vincunt Monarcham arcanorum & olympici spiritus figmenta juxta exemplum aquæ frigidæ in fervens metallum illapsæ. Nos non nihil tribuimus exemplo pulveris fulminantis ex auro & ferro, ubi non opus est elementari contrarietate, nisi eam in spiritu halinitroso coagulato & Salammoniato, tartareoq;, qui excitetur calore, ponas.*

Qualitates Aristotelicæ vincunt Paracelsicas essentias.

33. *Neq; verò temerè est quod de motus quoq; specie disserit Plinius, Seneca, Aristoteles &c. Nam spiritus ille turbinatim contortus terebrat tum vi insita, tum motu in orbem acto. Ideo rotunda facit foramina in capsa ferrea vaginæ gladij, & in manica apud Fabricium. Eadem caussa est, cur in fulmineis quibusdam jaculis foramen faciat ex angusto dilatatum. Explicat enim se spiritus ab apice, seu à principio facto se dilatat, contra ac in terebello. successione & resolutione auctus, qua erumpit, foramen grandius reddit. Neq; tamen omnes ful-*

minei lapides sunt pertusi. Vide lib. 2. Gemmarij Boëtij cap. 261. qui vix etiam autoritate Kentmanni, Gesneri, & aliorum persuaderi potest tam firmum durumq; lapidem circa æquilibrium ponderis adeò exactè perfossum ex nubibus excuti.

34. *Cæterum tempestatum & fulminum divina virtute effectorum horribile exemplum extat Gen. 19. v. 24 in Sodomorum eversione, & Exodi 9. 24. in plagis Ægypti, de quibus & Sap 16, 17. Psal. 77 18. 19. & 78. 48. Sic Iosuæ 10 v 11. tempestate & grandine percutiuntur exercitus regum Palæstinæ qua'e supplicium Deus minatur etiam Gog. & Magog. Ezech 38 v. 22. 1. Reg. 12. 17. tempestas præter consuetum divinitus excitata signum est offensi Domini.*

35. *Magica tempestas a Diabolo permissu Dei conflata est Iob. 1. 16. tribuiturq; similis potestas etiam bestiæ secundæ in apocalypsi cap 13. v. 13. Apud Plinium lib 2. cap. 55 est narratio de fulminibus evocandis, seu precationibus cogendis, aut impetrandis exemplo Vulsinorum, quorum ager a monstro Olta vastabatur. Ita Numa & Porsena sæpe fulmina evocarunt, quam artem cum Tullus Hostilius imperitè imitaretur, ictus est fulmine. Hinc Iupiter fulminator, Tonans, Elicius.*

36. *Vt ex eodem loco colligere est, non defuerunt, qui putaverint hominem imperare naturæ posse, ut ad libitum fulminet. Non alia est sententia hodiernorum magorum, quos Paracelsistas dicimus. Quid enim Crollius hominis fiduciæ & imaginationi non tribuit? Omnia astra, inquit pag. 37. Basilicæ, firmamenti, quæ sunt tinctura speculationis animi nostri possunt IMAGINANDO ex sua vi ingenita res corporales, & visibiles ex non apparentibus producere, ut jam sereno cælo mox producitur nubes magna, & ex ea fit pluvia, tonitru, grando &c quæ ante productionem nihil sunt. Item: Corpus & spiritus in hominis corpore visibili attrahunt, & hic est magnes microcosmi. Sydereum corpus & spiritus ad se trahunt vires astrorum. Hæc est quarta species magiæ naturalis Gamahheos dicta, quæ adjumento artis omnia invisibiliter & spiritualiter facit, quæ alioquin natura corporaliter: lege & reliqua pag. 106. Inest hominum animis virtus quædam immutandi, attrahendi, ligandi, potißimum si maximo imaginationis mentis, voluntatisq; excessu in id, quod attrahere, immutare, ligare, impedire cupiat, quis feratur, quod illis non videtur mirum, qui sciunt operationes magneticæ naturâ antipathici spiritualiter fascinantis &c. Sensus est hominem in se habere vim magneticam attrahendi astra firmamenti, per sua astra respondentia: attractionem procurari valida imaginatione, intentione,*

& fide

& fide naturali: Inde fieri ut homo efficiat voluntariè tempestates, & alia omnia, quæ aliàs stellis asscribuntur: quod est purum putum mendacium, & abominabilis magiæ & excantationum, divinis, & humanis legibus vetitarum prætextus.

37. Hoc utuntur & cæteri Magi, Agrippa, Tritemius, & similes, ne videantur Diabolici esse. Paracelsus aliquando asscribit non genijs improbis, sed ascendentibus syderibus, quasi ea homo in potestate habeat. Dum Pythonissas vult fulmina naturaliter ciere ad exemplum ignis, qui attritu silicis ad chalybem excutitur, sagas, quas alioquin & ipse & Crollius flammis adjudicat, defendit. Quæ enim sunt Pythonissæ? Act. 16.16. mulier habens spiritum Pythonem divinando quæstum facientem. Nostri vocant magas, sagas, divinatrices, Hexen/Druten/Weise Frawen/ quarum cum Diabolis commercium certum est, exemplo ejus, quam Saul consuluit 1. Reg. 28.8. Quærite mihi mulierem habentem Pythonem: v. 8. divina mihi in Pythone: v. 9. Magorum & ariolorum sunt sociæ prohibitæ Deuter. 18. 10. 11. 12. Es. 8. 19.

Paracelsus patronus magarum diabolicarum.

38. Nihil est certius tot quæstionibus, confessionibus sagarum Pythonissarum, quàm quod ope Diaboli, Deo permittente, procurent tempestates, & fulmina, nulla verò arte naturali, nulla imaginationis virtute, aut astris, seu ascendentibus, seu descendentibus. Ludicra quædam & puerilia suasu dæmonis adhibent; sed ea nihil habent per se efficaciæ, estq; illa magnetica familiaritas Paracelsistarum ea in re vanissima.

39. Non alia arte etiam Magi illi famosi Tritemius, Albertus, Agrippa &c. excitarunt fulmina, quam vel sagæ, vel Numa, Porsena, Tullus, Tiridates, Simon &c. quod etiam Paracelsus fateri cogitur, dum Pythonissas excusat prætextu naturæ. Sed Agrippa ingenuè confessus est vanitatem, & execrabile studium ipsius scientiæ. Itaq; quo genio imponere incautis juvenibus satagant Paracelsistæ, inde fit manifestum, ut tanto magis, quanquam, ut sagæ improbæ quoq; solent, simulent summam pietatem, sint fugiendi.

40. Frustra excusare suam magiam * vel natura, vel miraculo & exemplo Mosis, Samuelis, Eliæ &c. conabuntur. Naturæ imperari, inquit Plinius, audacis est credere: solus enim dominus naturæ id potest Matth. 8. 27. Quod etiam Paracelsus aliquando ponit, homini paratum debere esse Dei jussu etiam Diabolum, ad sanandos morbos ex incantatione (quos riduculè mentales vocat Crollius) & alia efficienda suo ministerio, quasi aliquod beneficium ex hoc

quoq; expectare possit homo, id ejusdem vani praetextus est; quo abominabiles cum Sathana consuetudines, & societates palliantur. Nosse hinc cujus spiritus filij sint Paracelsistae, & quid sentiendum de Rogerij Bachonis tempestate, quam vult mirabili potentia artis, & naturae excitari posse ad exercitus hostiles prosternendos, nisi tale quid sit quale ex Antro Smellen.

* Vide Crollij pag 46. Basilicae. Hominibus innocentibus pro voto fidei servit omnis creatura. Ii exaudiuntur ad omnia quaecunq; petierint &c. Sed ubi sunt illi innocentes? Moses petebat ingressum in terram sanctam, frustra. Num. 20 12. Deut. 1 38. cap. 3 24 25. 26. cap. 1 45.

41. *Non ars nostra, aut naturae potentia a nobis provocata hostes fulmine prosternit, sed Deus precibus solicitatus Iacobi 5 16. 17. 18. Facit enim voluntatem se timentium. Ps 145. 19. nisi aliquod offendiculum impediat, ut in Mose: Item pro sua gloria pugnat Deut 32. 27. Ex 9. 16. Rom. 9. 17. Ex. 32. 12. Num. 14. 21.*

42. *Imitatur autem Dei actiones, & vindictas aliquando Diabolus, alias homicida, & mendax ab initio, & in hominum perniciem, non salutem paratus. Id testatur historia Brenni, & exercitus Gallorum templum Delphicum occupare volentis. Nam & terrae motu abrupta portione montis daemon Delphicus hostes stravit, & tempestate cum grandine, & frigore, ut est apud Iustinum lib. 24. circa finem. Alio modo Phocenses templum suum spoliantes ultus est idem Apollo. Iustinus lib. 8. in principio.* Valer. Max. lib. 1. cap. 2.


43. *Atq; haec de fulmine. Si quis plurium quaestionum explicationem desiderat; eum jubemus legere Senecam lib. 2. natur. cap 12. & inde usq; ad finem: Plin. lib. 2 cap. 20. & 52. cum seq item 81. ubi fulmini comparatur hiatus seu chasma. Arist. lib. 2. met. cap. ult. & lib. 3. cap. 1. Plato in Timaeo impetum fulminis ex vacui defectu petit quasi ideo delabatur quia subtrahatur aër, in cujus locum ignis rapiatur, quae puerilis est opinio. Recentiorum tantus est cumulus, ut referre pigeat. Nos volumus saltem veterum & Paracelsistarum rationes in judicium deferre, ut pateat jurene an injuria Paracelsici damnent Peripatetica.*

44. *Breviter: Caussa efficiens remota est Deus, qui per angelos ignis & aquarum, naturamq; est efficax: aliquando malis genijs permittit: sagae & magi non sunt causae, nisi sua opinione: non etiam magi Paracelsici sive utantur imaginatione, sive characteribus, verbis, & alijs nugis. Aliqua tamen homines, bestiae, & alia occasionem possunt praebere tempestatibus nonnullis. Causae efficientes propinquae sunt tum qualitates primae adversae, tum conclusio, circum obsidentia, & compulsio, incendensq; calor, quae quo vehementiores sunt, eo fulmen fit terribilius, & effectu atrocius. Qualitates autem non sunt nudae, sed*

cum

cum materia determinata maximeq; urgente, & compingente. Materia est halitus, seu fumus pinguis, nitrosus, piceus, bituminens, calore resolutus, in nubes coactus, ubi constitit, & principio resolvente resolutus vi erumpit; sed & in inflammatam materiam incidens aqua frigida motus violenta causa esse potest, ut etsi sit spiritualis materia, tamen concrescere, & incendi possit, ut in meteoris ignitis alijs. Aliquando lapis fulmineus fervens unà est, qui incidente aqua sic excutitur, ut in officinis metallicis ferventia metalla, aut sulphur, vel pix fervens aqua immissa. Forma fulminis est ictus violentus primum in nubibus postea in materia percussa, insuperq; motus impetuosus cum fragore, & fulgetro terribilibus. Finis est varius: scilicet ut sit signum omnipotentis Dei, terror gentium ob flagitia & pœna impiorum, vel etiam aliorum ad exemplum: Quis enim similis in nubibus Deo? Horribilia tonitrua etiam significant impetus bellorum, Ps. 89. 7. 9. & concursus gentium ad bella. Sunt signa commotionis virtutis cælorum ante ultimum diem: Bonis solatio malis timori. Alias suas caussas effecta naturaliter denotant, possuntq; plura ex adjunctis colligi.

FINIS.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

RESPONDENTI
GEORGIO EISENBINNERO:

Diversos hominum mores vidisse per urbes,
Claraq; Magnorum novisse extollere facta:
Antiquâ titulos â gente referre celebres,
Res praeclara quidem: Sunt auri pondera fulvi
Grata: Sed est majus decus, est & gloria major,
Palladis ingenuas multùm sudasse per artes,
Atq; sua actum specimen dare sedulitatis.
Cum verò tales quoq; te praestare labores,
Jamq; iterum properes cathedram conscendere doctam,
Gratulor ex animi latebris tibi, chare GEORGI,
Et precor, arridens DEUS ipse laboribus adsit.

Εὐφημίας καὶ φιλίας ἕνεκα, F.

Casparus Schvvertelius Jun.
Coburg. Fr.